



A. II. 10 Q

22

D. SALOMO CONSTANTINVS  
T I T I V S

ANATOM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN.

FACVLTATIS MEDICAE VITEBERGENSIS

H. T.

D E C A N V S

A C T U M I N A V G V R A L E M

A. D. 21. DECEMBERIS. 1798.

PVBLICE HABENDVM

INDICIT

---

DE RENVM VITIIS

COMMENT. III.

*Aneurysmatis arteriae renalis sinistram,  
exemplum.*

D. SALOMO CONSTANTINUS  
TITIAS

ANATOLIAE POLONIAE TOSCANA  
BUCOLICAE MEDICAE AVITURGENSIS

DECAVAS

AUTOM INAVAHAFEM

VR 51 Decembri 1708

PAPYRUS HAFENDAM

INCLIS

DE RUMINATIAS

Constant. III.

ANATOLIAE POLONIAE TOSCANA  
BUCOLICAE MEDICAE AVITURGENSIS



**P**rimo loco ad caussas attendamus, quae secundum historias  
aneurysmatum renalium, commentatione praecedente  
propositas, in gignendis his vitiis organicis, maximas egerunt  
partes. In posteriore quidem aneurysmatis exemplo, quod  
NEBELIVS in medico amico obseruaverat, diligentiore caussa-  
rum scrutinio haud opus est. Vis enim externa, regioni lum-  
borum sinistram, per lapsum ex equo, illata, renem in illo loco  
situm, ejusque vasa, in primis arteriosa, ita affecit, ut tristes ef-  
fectus mox conspicui fierent. Post quatuor demum annos,  
quibus certiora aneurysmatis praesentis signa, sensim apparue-  
runt, malum evasit letale. Longe difficulterioris vero indaginis  
est, caussas eruere, quae tum in priori ex Ephemeridibus repe-  
tito exemplo, tum in matrona, cui medendae nos operam de-  
dimus, tantum effecerint morbum. De prioris mali ortu NE-  
BELIVS sequentem in modum judicat. Post resectum testem  
dextrum, sanguinis circuitum, primo per arteriam spermatica-  
m illius lateris, et postea per aortam eo in loco, ubi haec  
arteria suum habet exortum, tandemque in utraque arteria  
emulgente fuisse retardatum, cruentem illic collectum, atque ita  
aneurysma arteriae magnae, et utriusque emulgentis produc-  
tum. Secundum hanc explicationem, similem fere aneurysmatis  
in nostra aegrota genesci, repetere licet. Status enim par-  
tium genitalium internarum scirrhosus, ex dispositione scro-  
phulosa deducendus, circulationem sanguinis liberiorem illis in  
locis admodum immutavit. Quodsi vasorum spermaticorum in-  
ternorum initium, eorumque per corpus muliebre diramatio-  
nes, perpendimus, huic explicationi aliquod conciliatur robur.  
Arteriae enim spermaticae internae, ursopote rami minimi aor-  
tae, more confueto, ex ipsa aorta intra arterias renales atque  
mesaraicam inferiorem, prodeunt. In feminino corpore statim  
pelvini petunt, ibique ovarii, tubis fallopianis, atque uteri

❧ ❧ ❧

ligamentis, quin ipso uteri fundo, ramos largiuntur. Impedimentum ergo, quod sanguini in his partibus induratis opponitur, eum edit effectum, ut ille vi majori retrosum, versus superiora, urgeatur. Majus adhuc huic explicacioni accederet pondus, si, ut interdum observatum fuit, arteria spermatica immediate ex renalibus produisset, quam anomaliam in extispicio non deprehendimus. Quamvis vero haec morbi genesis aliquam praeseferat verisimilitudinem, nec aegrota unquam, vim aliquam externam, utsiote probabilem harum mortiscausam, commemoraverit; volumen tamen sanguinis, per gracilem arteriam spermaticam, ad aortam redeuntis, tantae vi, in arteriam renalem exserenda, impar omnino esse videtur. Praedispositionem localem, laxitatem praeternaturali-  
tem hic obtinuisse necesse est, quae occasione nobis ignota accedente, in morbum abiit.

Iam ad symptomata transeamus, quorum ope diagnosis morbi, in interioribus absconditi, nec observationum frequentia satis evicti, probatur. Frequentissimum aneurysmatum signum est pulsatio in loco affecto; quam nec in eo, de quo agimus, aneurysmatum genere, abesse, testatur MORGAGNI (de sedibus et caussis morborum epist. 59. n. 19.). Arteriae, inquit, quae, si in aneurysma dilatentur, pulsationem possint nimiam edere in regione superiori abdominis, et ventri proximae, coeliaca sunt, cum crassioribus ejus ramis; mesenterica superior, emulgens dextra, et arteria magna; sed haec multo omnium saepissime, rarissime autem reliquae, si excipias coeliacam. Observationes tum Nebeliana, eaque repetita, tum propria, sententiam MORGAGNI confirmant. In arteriis quidem majoribus, quae aneurysmaticae pulsationem constantem fere exserunt, plures concurrunt caussae: amplitudo arteriae, vicinia cordis, et in quibusdam liberior situs. Arteriae vero renales, nec luminum amplitudine, qua majorem sanguinis affluentis copiam recipiant, nec situ cordi propiore, quo majorem ab eodem perferant impetum, vibrationesque fortiores experiantur, nec liberae satis, ut manum impositam feriant, aut eidem

eidem motum communicent, visceribus potius chylopoëticis obiectae, quibus vibratio fortior obscuratur, et quodammodo compescitur, magnam vim in manum applicatam exserere possunt. Perpendamus vero, in dilatatione tum copiam sanguinis affluentis, tum ejusdem impetum mirifice augeri, quo reliquae partes adjacentes comprimuntur, ipsaque ictus vehementia ad externam usque corporis superficiem, propagatur. Pulsantem enim arteriam, quae duriori corpori, ipsis ictibus minime cedenti, incumbit, exacte tactu sentimus. Quod quoque evenit, si partes arteriae adjacentes mole auctae, arteriam fortiter comprimunt, ejusque reactionem augent. Exempla sunt tumores varii generis, in quibus alternos arteriae motus commode percipimus.

Pulsus quoque intermittens, per inaequalia temporis intervalla recurrens, atque cordis palpitationes breues et redentes, symptomata aneurysmatum internorum majorum habemus. In nostra aegrota nulla pulsus, in utroque carpo tentati, animadvertebatur mutatio, nec in reliquis duobus a me laudatis exemplis, pulsus mutati mentio facta est. Tunc enim modo systole cordis turbari videtur, si impedimentum vel in ipsa arteria, immediate cordi juncta, vel in ramo majore vicino haeserit. Ipsa aegrota, in morbum attentissima, nunquam medicis de hoc phaenomeno aliquid retulit. Et licet arteria dilatata interdum valide manum impositam appelleret, nunquam ictus pulsum per reliquum corpus mutati observabantur.

Cum vero in signo aneurysmatum, ex pulsatione partis affectae, ferendo, saepe, ut per caussas jam allatas, patet, fallamur; attenti simus ad alia symptomata ex partis laesae functionibus repetita. Hae enim in partis morbosae scrutinio nos ducant, quae inter alia viscera altius recondita est. Haematuria ergo, ultimis vitae mensibus aegrotae nostrae non molestia quidem, sed eandem anxiā de malo exitu morbi reddens, inter symptomata praecipue consideranda est. Nullam hujus fluxus cruenti mentionem fecit NEBELIVS, quam equidem in aegrota hac matrona observavi, atque in historia morbi consulto



sulto ad signa, quae sanguinem ex renibus desillantem, ab illo ex vesica atque urethra fluxu, distinguunt, respexi. Sanguis urinam rubro colore tingens, mere fluidus, nihil grumosi aut coagulati habuit admisum. Ex ipsa ergo lotii secretionis officina, ubi arteriae materias lotium constituentes, largiuntur, cauilla repetenda est. Modo major sanguinis quantitas cum urina produiit, ut lotium obscure rubrum, sanguinem potius merum, aquosum, serosum, vel urinosum particulis dilutum, haberet; interdum lotio aliquid modo sanguinis fuit admisum, quae particulae peregrinae, gravitate fundum vasis subinde petierunt. Per ulteriorem hujus urinae rubrae explorationem, quantitas utriusque fluidi, lotium rubrum constituentis, exactius finiri potuisset. Facillime vero ex iis, quae de arteriarum in secretionum negotio, dignitate, ex physiologicis constant, haec turbata atque immutata secretio, explicatur. Modus vero, quo haec anomalia evenerit, aequa latet, ac absoluta de secretionibus theoria, quae nullis dubitationibus amplius subjecta sit.

Denique ex iis, quae de exitu hujus morbi retuli, ipsum, per se haud letalem fuisse, liquet. Dilatatio enim nondum eam assecuta fuerat, amplitudinem, ut ruptura mortem effecisset repentinam. Exemplum vero medici antea commemoratum, satis docet, eundem, qui in aliis aneurysmatibus observatur, exitum, in hoc quoque occurrere, mortem nempe inopinatam ex ruptura membranarum. In sanitatem tamen aegrotae, continua sanguinis boni jactura, tristem exseruit effectum, omninoque occasionem dedit, ut febricula illa, haud dubie breviori tempore, letalis evaderet.

Repetita vice filum prolusionis de vitiis rerum discindendum est, cum mihi jam ad eum, quem munus, quo in praesens fungor, exigit, respiciendum sit finem. Lectores enim de Candidati Nostris

Viri Praenobilissimi,

IOANNIS TRAVGOTT RICHTERI,

MARTHA - MFS NICI,

vita ac studiis informandi sunt. Ipse igitur vitae rationem, quam hic usque tenuit, enarrat.

Ego

Ego IOANNES TRAUGOTT RICHTER, natus sum Harthaviae  
 prope Bischofswerdam in circulo Misnico anno 1763. d. 2. Mens. Octo-  
 bris. Parente utroque proh dolor! orbatus sum, Patre nimium Io-  
 ANNE, topario Dynastae HAVSSNERI, mercatoris Dresdeni,  
 Matre ANNA REGINA e gente PAVFLERIANA. Ad annum  
 decatis meae decimum septimum, praeter institutiones scholasticas a ludi-  
 magistro Harthaviensi traditas, paternas etiam domi in Orthographia  
 et Arithmeticā, multo cum fructu percepī. Post parentam obitum im-  
 maturum, Frater, beatis nunc quoque adscriptus, Praeceptor quondam  
 scholae obstetriciae Dresdane meritisimus, in tirociniū chirurgicum  
 me recepit, receptumque cura vere paterna nutritivit ac eruditivit. Prae-  
 ter lectiones privatas Fratris in Chirurgiam, etiam publicas ejusdem  
 in arte obstetricia frequentavi, ut et plures alias, quas maximo cum  
 fructu docuerunt Viri Experientissimi, Praeceptores Collegii medico-  
 chirurgici Dresdeni meritisimi, nimium Anatomicar, ab HAEHN-  
 LIO, tunc in theatro anatomico Prosector dexterissimo, nunc Anatо-  
 mia Professore, Cūnicas a beato PITSCHELI, Protomedico ex-  
 exercituum Saxoniorum, Pathologicas a DEMIANI, Pharmacō - hi-  
 storicas a b. WAGNERO, in Chirurgiam dentium ab ANDRE  
 et Chirurgicas a WILDIO tunc Protothirugo exercituum Saxonico-  
 rum, nunc inter Chirargos Selector Sereniss. Princip. Elektoris dignis-  
 simo, habitas. Quibus Viris, de me erudiendo maxime promeritis,  
 summar hic ago gratias. Post triennium integrum fere praeterla-  
 psum a. 1788., examen publicum eum in finem subi, ut probatus mu-  
 nere chirurgi militaris, fungerer. Statim exantlato examine votis  
 potitus sum, atque munus Chirurgi castrensis in legione pedestri, cui  
 Ipse praeest Serenissimus Princeps Elector, militi fait demandatum. Se-  
 quenti anno cum legione Dresden excubicorum agendarum gratia,  
 missus, ibidem per integrum annum omnes jam commemoratas scholas  
 repeti, quibus eas adjeci, quas Cl. WEISSE, post Fratris carissimi  
 obitum, artis obstetriciae magister et praceptor, tunc habuit. Anno  
 1793. a legione cum laude dimisus, munus Medico - Chirurgi prin-  
 cipalis apud Celsissimam Viduanam Principem Anhaltino - Cothenam suscepī,  
 quo per quatuor annos Principis Venerandae gratia ornatus, felici  
 cunz



cum successu fungebar. Hac occasione Principis LUDOVICI, vigiliarum in exercitu Regis Daniae Praefecto, Patroni vere principalis, peculiarem favorem, per felices atque exoptatas medelas, mihi conciliavi, idque effeci, ut Ejus celissima liberalitate ac gratia adjutus, studia in Academia Vitebergensi prosequi mihi contigerit. In civium academicorum numerum mensē Iulio h. a. ab Ext. FREYBERGIO, Philos. Prof. Ord. tunc temporis Rectore Academiae Magnifico, receptus, scholas medicas et theoreticas et practicas statim adii, scilicet Therapeuticas Exper. BOEHMERI, Academiae Senioris Gravissimi; Botanicas et Chemicas Experient. TITII, Chirurgicas Experient. KREYSIG, Anatomicas Clariss. VOGTII Theatri anatomici Projectoris. Omnibus vero Praeceptoribus, Fautoribus et Patronis, qui huc usque consiliis, institutione, atque beneficiis de me bene meriti sunt, maximas semper debitasque habebo gratias.

Per omne vero tempus, quo Candidatus Dignissimus in Academia Nostra versatus est, morum probitate, studiorum affiduitate, atque in chirurgicis dexteritate, sele commendavit, ut Ipsum Ordo Medicorum examine ante aliquot dies probatum, dignum censeret, cui honores Licentiati Medicinae more majorum tribuerentur. Publice jam dissertationem suam: *De virtutibus mercurii cinerei Sanderi medicis*, a. d. 21. Decembris, in erudito cum adversariis colloquio, defendet; Cui Actui Inaugurali ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICVE PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI, PRAENOBILISSIMI praesentia et frequenti concursu favere velint, et Ordinis et meo nomine oro rogoque.

P. P. Dom. Adventus tertia 1798.



PICA  
1018



D. SALOMO CONSTANTINVS  
TITIVS

ANATOM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN.

FACVLTATIS MEDICAE VITEBERGENSIS

H. T.

DECA

ACTVM IN A

A. D. 21. DECEM

PUBLICE HA

INDIC

DE RENVM

COMMENT

*Aneurysmatis arteriae  
exemplu*

